

lares à semetipso approbato suspendere, ac repellere à confessionibus audiendis.

92

Juxta ergo Decreta Apostolica quinque habemus causas, ob quas Episcopus Regularis à semetipso simpliciter approbatus, potest à confessionibus audiendis removere; in quo maxime summus Pontifex onerata vult conscientiam ipsorum Episcoporum. Primo, ob causas, seu defectus pertinentes ad confessionem. Secundo, ob non servatum interdictum impositum ab ipso ordinario, ut patet ex supra citata declaratione sacrae Congregationis Tertio, si confessor vita sua, suisque actionibus scandalum præbeat. Quarto, si vitam luxuriosam ducat. Quinto, si aliquo grave delictum perpetraverit, quia Præcipua ministri penitentia qualitas est vita integritas, & morum honestas.

93

Confessor debet corripere penitentem de suis delictis, ac peccatis, si ipse eisdem est detentus, quomodo de eisdem potest penitentem arguere, ac admonere, cum ipse eadem faciat; quod graviter arguit Apostolus Rom. 2. num. 21. Qui aliam docet, & se ipsum non docet, qui prædicas non furandum, furaris. D. Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam, ait, Monstruosa res est gradus summis, animus infirmus, sedes prima, vita ima, lingua magniloqua, manus otiosa, sermo nullus, fructus nullus. Postquam Deus objecit Israël peccata sua per Ezechielem Prophetam 22. num. 4. ait: Propterea dedi te opprobrium gentibus, & irisionem universis terris. Ultima verba legit Arabicus. Et lusum universis terris. Severianus in catena Græca apud Vaticanum; Gloriabantur se esse filios Abrahæ, ac veri Dei cultores, & idolis immolabant. Qui id quod verbis dicit operibus contradicit, unum habet in ore, & aliud offendit opere, in irisionem, ac lusum universis terris venit.

Sanctiss. D. N. Clementis divina Providentia Papæ X. Constitutio in qua Regularium privilegia quoad predicationem Verbi Dei, & Sacramenti Penitentia administrationem declarantur.

Clemens Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

93

Superna magni Patris familiae preordinatione creditum Nobis Universalis Ecclesie mysticum agrum circumspicte providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) sagentes, animum in eas curas libenter intendimus quibus valeant dissidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; sic etenim evulsis oportune rizoanis, dum plantamus, & rigamus incrementum dabit Deus, quo benedi-

cente messis multifrauctu centesimo cæleste in horreum congregabitur.

Sanè cum sacri Concilii Tridentini decretis providè statutum fuerit ut Regularis cujuscumque Ordinis, nisi a suis superioribus de via, moribus, & scientia examinatus, & approbatus fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum predicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis presentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædica incipiant; in Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo predicare possint. Atque ut nullus secularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo predicare præsumat. Itaque cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones secularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videatur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, qua gratis detur, obtineat privilegium, & consuetudine quacunque non obstantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diocesis excitata, fuisse, ex quibus controversia & dissensionem per multa in aem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

Nos attendentes quod alias diversis temporibus prædicta dubitationes, & controversia, nonnullis Prædecessorum Nostrorum Summorum Pontificum constitutionibus, earumque declarationibus definita fuerint, ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & in posterum firmior in agro Dominico pax Christi foreat, pro summo, quo fungimur Apostolatus officio, novis Apostolicis litteris manendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romana Curia Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuo validura constitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis predicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocesano benedictionem petere, predicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus predicare, eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolica delegato censuris, aliisque penis Ecclesiasticis in vim Constitutionis sel. rec. Gregorij XV. prædecessoris nostri, incipientis, inscrutabili Dei providentia, coerceri & puniri posse Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere, & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum sanctorum Monachialium eorum jurisdictioni subiectarum licet clausis januis, & nullus secularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam

licentiam concessuram Regularibus, in Ecclesiis qua suorum ordinum non sunt, predicare, volentibus; illos, quamvis ab universitatibus, aut a magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam predicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas, predicationem tamen concernere se suspendere. Non posse tamen Episcopum generaliter prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum ordinum predicent.

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Diocesi audiendas approbatos, non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire, quamvis penitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monachialium sibi subiectarum; sed egerere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monachialium unius Monasterii minime posse audire confessiones Monachialium alterius Monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monachialium confessiones pro una vice audiendas hanc posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ceterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deseruiunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperi fuerint, ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum in Diocesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti arbitrio ordinariarum relinquere, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiore reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbati Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni que incipit, omnis viri que sexus, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & abs-

Sylveira Opuscula.

que ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo secus autem si ab ejus vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbato non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, que ipsas confessiones concernat. De qua tamen hanc necessariam esse, ut in aliis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo, aut aliis inhonestè vivant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam onerata esse volumus, cum præcipue Ministri Sacramenti penitentia qualitas sit vite integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil ob stare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbato suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per mare magnum; aliave privilegia Regularibus cujuscumque ordinis instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis, factam eis non esse potestatem absolvendis in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à sede Apostolica post sacrum Consilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta si qua habeant, absolvendis à casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendis ab omnibus casibus sedi Apostolica reservatis, non ideo à casibus Episcopi reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem confessorem in ea Diocesi, in qua est approbatus, consuetes ex alia Diocesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem penitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diocesim pro absolutione obtinenda migrasse; & vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere Penitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Penitentiali, utique non conferit absolus in exteriori judicio, & contentioso. Quinimo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus etiam à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem sedi Apostolicæ judicio, prout alias constitutione Prædecessoris nostri sel. rec. Clementis IV. Statutum fuit esse requirendam.

Decernentes sic & non alias per quoscumque, iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate, & dignitate surgentes etiam cau-

La a sarum